Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26147
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Ex his aperte intellexisti in nomine christi verum baptisma tribui.
ubi nichilominus insinuari videtur verum baptisma dari
posse in nomine patris tantum vel spiritus sancti. si tamen ille qui baptizat fidem
trinitatis teneat. que trinitas in quolibet horum nominum intelli
gitur. Si autem aliquis perverse credens et errorem inducere inten
dens. unum de tribus tantum nuncupet. non implevit mysterium.
Quod vero ait nominatis tribus vacuum esse mysterium si baptizans minu
at potentiam patri vel filio vel spiritui sancto. id est male sentiat de po
tentia alicuius horum. non credens unam potentiam trium. intel
ligendum est hoc super eum qui non intendit non credit baptiza
re. qui non tantum caret fide. sed et intentionem baptizandi non
habet. Qui ergo baptizat in nomine christi. baptizat in nomine
trinitatis. que ibi intelligitur. Tutius est tamen tres personas ibi no
minare. ut dicatur in nomine patris et filii et spiritus sancti. non in
nominibus sed in nomine. id est invocatione vel confessione patris et filii
et spiritus sancti. Invocatur enim ibi trinitas. ut invisibiliter ibi ope
retur per se. sicut exterius visibiliter per ministrum. Si autem dicatur
in nominibus. non est ibi sacramentum quia non servatur forma. De insti
tutione bapti.
xx. De institutione baptismi quando
cepit. varie sunt estimationes. Alii dicunt baptismum
tunc institutum cum nichodemo christus ait. nisi quis renatus fuerit
ex aqua et spiritu sancto. alii dicunt institutionem baptismi factam
cum apostolis dixit. ite docete omnes gentes. baptizantes eos
in nomine patris et filii et spiritus sancti. Sed hoc dixit eis post resurrectionem
precipiens eis de vocatione gentium. quos ante passionem
binos et binos miserat ad predicandum in iudea et ad